

Copia de la censura
que dejó escrita el señor Pérez
sobre la historia de los reyes godos,
falsamente atribuida a S. Ildefonso



Biblioteca Virtual de
Pensamiento Político Hispánico
Saavedra Fajardo



Copia de la censura que dexó escrita el señor Perez sobre la historia de los Reyes Godos, falsamente atribuida á S. Ildefonso (d). (Vid. pag. 219).

Censura mea de præcenti historiâ D. Ildefonsi...

«**P**uto Lucam, vel eum à quo is accepit, hoc opus falsò imposuisse D. Ildefonso.»

«Primum quia sic Lucas Tudensis multa alia in præcedentibus fabulosa miscuit chronico D. Isidori; et præfationem finxit in lib. de *Gotthis, Suevis, et Vandalis*, quæ in antiquis Isidori exemplaribus nusquam est; et ea præ-

(*) Hinc deest in Pitheo.

(a) *VI.* in cod. *Moralis*.

(b) *Decembr.* in cod. *Moralis*.

(c) *DCCXXXIX.* in cod. *Moralis*.

(d) Se halla entre sus mss en el archivo de la santa iglesia de Segorve.

fatio continet illam fabulam de Toletu urbe condita à Tolemom, et Bruto, Consulibus Romanis.»

«Deinde quia Julianus in vita Ildefonsi narrans eius opera nunquam dicit ab illo scriptam historiam.»

«Præterea quia hic liber multa falsa continet quæ non est verisimile ignorasse Ildefonsum, cum de suo tempore loquatur.»

«Nam ait Isidorum perduxisse historiam usque ad Sisenandum Regem Gotthorum, cum constet chronicon solum perduxisse usque ad IV annum Sisebuti, ut ipse Isidorus testatur *lib... Ætym. cap...*; post quem Sisebutum sequuntur Recaredus secundus, et Suintila ante Sisenandum. Quod si intelligat de libro *de Gotthis et Vandalis* Isidori, ille non pervenit ad Sisenandum, sed ad I. um annum Suintilæ.»

«Ait Sisenandum cœpisse regnare Era 671.; immo 669 quod probo, quia Concilium IV. Toletanum dicit *se* (f. *fuisse*) habitum Era 671 et anno 3. Sisenandi. Item quia Suinthila præcessor Sisenandi cœpit Era 659, ut ait ipse Isidorus, et regnat annos decem, ut ait Julianus, sive Vulsa, in illa summa Regum Gotthorum.»

«Ait Sisenandum regnasse ann. 3.; immo ait Julianus, sive Vulsa, ann. 3., menses 11., dies 16.»

«Ait Chintilam regnasse annos 5. mens. 4. Julianus ait a. 3. m. 8. d. 9., et verius; nam post illum Tulga cœpit Era 678., regnat 2. annos, menses 4.; inde Chindasvintus cepit Era 680. Itaque VII. Concilium Toletanum habitum Era 684. anno 5. Chindasvinti.»

«Ait Isidorum mortuum anno 6. Chintilæ. Quomodo hoc ignorasset Ildefonsus, qui *lib. de viris Illustr.* cum numerat Reges, sub quibus floruit Isidorus, desinit in Sisenando, nihil de Chintila? Et certe Isidorus mortuus est Era 674, anno 1. Chintilæ. De era id testatur Redemptus eius discipulus in *obitu Isidori*; et probatur, quia VI.

concilium Tolet. habitum est anno 2. Chintilæ, et ibi non subscribit Isidorus, sed Honoratus Hispalensis.»

«Ait Isidorum fuisse episcopum annis 40. Immo 35. ab anno Christi 602., quo mortuus est Leander, usque ad 336, quo mortuus Isidorus. Ideo Ildefonsus *lib. de viris illustr.* non ait. 40, sed *ferè* 40.»

«Ait Isidorum gessisse vices Pontificis Rom. in Hispania. Unde id scivit, cùm hoc taceant Braulio, et Ildefonsus?»

«Leges dedit Regibus Isidorus. Vides significare ab illo editum librum Fori Judicum. Atqui in ipso libro dicitur editus ab.....»

«Ait Isidorum obiisse Era 670. Constat ibi legendum Era 680. ad supputationem huius auctoris. Nam ipse ait Chintilam cepisse Era 674., et Isidorum mortuum anno 6. Chintilæ. Sed docuimus in utroque falli; mortuus est enim Era 674.»

«Ait Isidorum convocasse Synodum Toleti, et ibi mortem suam prædixisse. Si loquatur de IV. Synodo Toletana, habita est Era 671. tribus annis ante mortem ipsius. Si de V. abfuit ipse. Si de VI., iam erat alius hispalensis Honoratus.»

«Ait Isidori patrem Severianum fuisse ducem Carthaginiensem. Primum ipse Isidorus ait *lib. de viris illustribus*, patrem fratris suis Leandri fuisse de provincia Carthaginensi, non vero ait fuisse ducem. (que era del reyno de Toledo). Item dux officium erat militare, et in limitibus constituebantur, ut dux Narbonæ contra Francos, Emeritæ contra Vandalos. Sed provintia Cartagenen. non egebat duce, cum Toletum ubi reges habitabant, esset in provintia Carthagin.»

«Item ait Isidorum esse de regio sanguine; nempe quia dicunt Severianum fuisse filium Theodorici. Quod ex tempore confutat Morales. Item id non dicunt Braulio, Ildefonsus, Isidorus, neque Gregorius Magnus.»

«Ait Chintilam mortuum uno mense post D. Isidorum. Immo Isidorus Era 674. mortuus, ut præbavimus, et Chintila Era 678. Nam concilium VII. Toletanum Era 684. anno quinto Chindasvinthi. Immo de mense etiam constat, quia Chintila non mortuus mense majo, sed januatio; quod probabis si retrocedas ab annis Reccesvinthi, quos Julianus præfinit.»

«Ait Theodistum archiep. successisse Isidoro in ecclesia Hispalensi. At tale nomen non legitur in catalogo archiepiscoporum Hispalensium veteris libri gotthici S. Æmiliani. Item in conciliis Toletanis usque ad XVII. subscribunt varii episcopi Hispalenses; nusquam tale nomen. Item nemo veterum talis historiæ meminit.»

«Item fabulosum videtur Isidorum scripsisse de medicinâ et arte notoriâ; præsertim cùm nomen notoriæ artis pro magica sit.....»

«Item quomodo tempore gotthorum convert.... libros Isidori in linguam arabigam, cùm nemo intelligeret arabicum in Hispania.»

«Item ille error de filio adoptivo potius fuit Elipandi Toletani multis post sæculis, quem hic auctor immemor dat Theodisto.»

«Ait dignitatem primaciæ translata ab Hispalensi ecclesiâ ad Toletanam propter Theodistum. Primo non constat usquam de primaciâ Hispalensi. Secundo, tempore gotthorum nusquam nomen primatis nisi pro metropolitano, ut in concilio sub Gundemaro; neque de contentione primaciæ usquam loquuntur auctores eius temporis.»

«Mahometum ait venisse Cordubam, et fugisse metu D. Isidori. Fabulæ. Nullus auctor narrat Mahometum in Hispaniam, aut Africam venisse, sed in oriente bellum gessisse. Neque Sarraceni sub Isidoro venerunt in Africam usque ad tempus Constantis Imperatoris, quo Ab-

della, Dux Mohabiz Califæ cæpit Africam, victo Gregorio comite Imperatoris Constantis circa annum 697.»

«Ait Mahometum fuisse caudam Draconis, qui tertiam partem stellarum abstulit. At tempore Ildefonsi vix nomen Machometi cognoscebatur in Hispania; quia nemo gotthorum tempore illius meminit, ne dum rescire (*potuit*) tertiam partem mundi ab illo contaminatam, ut nunc.»

«Tulgam ait regnasse ann. 3.; at Julianus annos 2. mens. 4.; et quadrat supputatio.»

«Heraclium minorem (forte intelligit Constantium Heraclii filium) cepisse Era 682.; immo 678., ut ait additor historiæ Biclarensis, auctor eorum temporum. Immo hic addit Heraclium minorem ante Constantium filium Heraclii.»

«Chindasvinthum ait cepisse Era 682.; immo 680.; nam VII. conc. Tolet. anno 5. Chindasvinthi, Era 684.»

«Chindasvinthum ait regnasse solum annis 4. mens. 8.; cum filio ann. 6. mens. 7. Julianus ait solum ann. 6. mens. 8. dies 20.; cum filio ann. 3. mens. 4. dies II.: obiisse kalend. octobris era 691.; cui potius concedendum.»

«Theodistum ait sub Chindasvintho sententia Synodi exulasse. Atqui solum VII. conc. Tolet. habitum sub Chindasvintho, ubi nulla mentio Theodisti; sed in eo subscribit Antonius Hispalensis.»

«Ait Reccesvinthum cum patre Chindasvintho regnasse ann. 6., et postea solum ann. 12. Immo Julianus ait cum patre ann. 3. mens. 4. dies 11., et in totum annos 23. mens. 6. dies 11.: obiisse cal. septemb. era 710., et certe computatio concurrat.»

«Item quomodo Ildefonsus scivit quot annos regnaverit solus Reccesvinthus, cum Ildefonsus obierit ante Reccesvinthum, nempe anno 18. Reccesvinthi, ut ait Julianus in vita Ildefonsi? Et quomodo scivit mortuum in Gaticos Reccesvinthum, cum iam mortuus esset Ildefonsus?»